6
37-A
46

6
N
20

N°. 80/—

~~XXVI.15 II~~ XXII. 18.02.
BB.II.

RARA
MAGNÆ GRÆCIÆ
NUMISMATA

MAXIMIS PHI-
LIPPIS,
Regi & Principi
Hiſpan. &c.
PATRI & FILIO
Oblata A. 1592.
à Proſpero Pariſio, Patricio Rom.
V. J. Doctore.
Nunc, Curante
Johan. Georgio Volckamero
Med. Doctore,
Denuò recuſa. A. 1683.

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

ROMA

PROSPERI PARISII,

Romani Patricii, & V. J. Doctoris,

RARIORA

MAGNÆ GRÆCIÆ NVMISMATA,

Maximis Philippis, Regi ac Principi Hiſpaniarum, A. C. cIↄ Iↄ XCII. primùm oblata,

Cum enumeratione

Sanctorum, Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Familiarúmque Illuſtrium,

EX CALABRIA, SICILIA, REGNOQVE NEAPOLITANO,

originem ſuam trahentium;

& ipſis Magnæ Græciæ tabulis, inter ſe diviſis, altera editione renovata.

Accurante

JOH. GEORGIO VOLCKAMERO, MED. D.

Accedit Præfatio Epiſtolica CHRISTOPHORI ARNOLDI.

ANNO M. DC. LXXXIII.

Viro Illuſtri vereq́; Magnifico

DN. ERICO MAURICIO,

Jcto, Supremi per Germaniam Dicaſterii, quod Spiræ Nemetum eſt, Legato perpetuo, Circuliq́ue Suevici Adſeſſori graviſſimo, Mecœnati literarum gratioſiſſimo,

Domino ſuo perpetim colendo.

PArum abeſt, quin retrahat me inde verecundia, quò ſumma Tui, Illuſtris Domine, exiſtimatio impellit, ut præſentem ſcil. de Nummis veteris Græciæ, Siciliæ & Calabriæ Tractatum ſub illuſtri Nominis Tui fulgore in publicum proferam: præſertim cum non proprium, ſed alienum (jam dudum defuncti parentis) fœtum, adeoq́; & ipſum propè expirantem, recentiori tamen hâc editione refocillatum Tibi ſiſtam. Vincitur verecundia deſiderio & ambitu perhoneſto tanti Viri, quem licet abſentem in oculis fero, aucupandi favorem. Et quis tandem mihi vitio verterit, ſi nummos hoſce antiquos Antiquitatum arbitro tam inſigni dedicavero. Certè enim, Virorum illuſtrium in amicitiam ſi non datur irrepere, vel inrumpere demum licebit. Excuſet impetum moræ longioris impatiens affectus, cujus mihi fax eſt tum ipſa Virtus tua, tum Exc. Dn. SCHEFFERI noſtri, Archiatri Mœno-Francofurtani in Te ardor. Neq; enim nudius

demum

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA

demum tertius ſumus ille admirator mirificæ tuæ & multijugis ſcientiæ profundam in hoc ſtudii genere cognitionem tuam, inſimul & integerrimum animi candorem, quo multorum vel nives ſuperas, mihi deprædicavit; ſed à pluribus jam annis perjucundæ hujus, quâ Tecum fruitur, converſationis, non paucis in epiſtolis apud me mentionem fecit. Hujus igitur, ſæpius ab Illo mihi decantatæ ingenii atque animi tui prærogativæ, & præterea ſingularis nummariæ antiquitatis ſcientiæ famâ excitus, Tibi, & Cultori, & Cognitori & Cenſori talium accuratiſſimo digniſſimoque renovatos hoſce antiquorum Regum vel Illuſtrium nomina inſcriptos flores perofficiosè offero, dico, dedico; cum iisque animum pariter quævis ad officia paratum. Qui ſi in Conſortium præclariſſimæ ſimul ſuaviſſimæque utriusque veſtrum conſuetudinis recipi merebitur, præclarè mecum agi putabo, omniumque calculo fortunatus judicari potero.

Age igitur! ſereno & vultu & affectu chartaceos hoſce nummos excipe, Tibique, Illuſtris Domine, me patere eſſe commendatiſſimum, qui, quoad vixero, nihil certè in me deſiderari patiar, quo obſequia mea deſideriis & juſſis tuis poſſint declarari addictiſſima, ſplendidiſſimique Tui Nominis cultorem præcipuum & devotiſſimum eſſe liqueat

J. G. VOLCKAMERUM, D. M.

Lector benevole!

ANtiquitatis inter monumenta præclariſſima monetam eſſe, adeoq; cuſtodem illius fidiſſimam, nemo facilè negaverit. Quod egregia, ſaxo licet ſuperſtructa molimina, vel mole ſuâ, vel ſenio inclinata oblivioni prorſus occumberent, niſi numiſmatibus, tanquam fulcris quibusdam validiſſimis memoria illorum niteretur! Doctorum præterea non pauca controverſiæ, præſertim Chronologicæ, numiſmatum ſententiâ dirimuntur. Quid? quod vel ipſa delineati antiqui æris inſpectio oculos & memoriam non ſordidâ, nec cupidâ (abſit hæc!) ſed honeſta quadam recognoſcendi ſuavitate titillet. Unde non præſenti ſolùm, ſed ſuccedentibus etiam ſeculis ad notitiam temporum non parùm prodeſſe videtur; ſi quis ſelectiores vetuſtatis nummos quaſi recuſos orbi communicat.

Hæc igitur, ut præſentes haſce proferrem in lucem tabulas, me impulerunt: id, quod tamen (fateor!) non facilè negotiorum mihi meorum propior ratio, utpote valetudini corporis humani obſtrictorum permiſiſſet; niſi data olim occaſio addidiſſet & anſam & ſtimulos. Etenim, cum ad capeſſendos uberiores Chirurgiæ fructus Anno ſeculi hujus 41. & 42. Neapoli apud Illuſtrem Marcum Aurelium Severinum, Medicum & Chirurgum Neapolitanum morarer, inter venum expoſita rariora quædam mihi videre contigit monumenta, Græciæ ſcil. magnæ, Calabriæ, Siciliæ atque Regni Neapolitani tabulas; Harum margines circumcinxêre nummi eleganti ſatis Græcarum literarum cælatura inſigniti: quorum licet permultos quoque à Golzio editos viderim,

rim, hos tamen à Proſpero Pariſio editos, monitu virorum Illuſtrium, divulgare non recuſavi: quia compluribus adhuc aliis, vel ab iſtis, quos ipſe edidit, aliquomodo differentibus, vel planè ab illo omiſſis conſtant. Ne verò ſoli illi comparerent nummi, adjectos inſimul tot Sanctorum Martyrum, Pontificum, Cardinalium, &c. Imperatorum, Regum, Principum, Ducum &c. Familiarum exinde natales ſuos agnoſcentium, ordines ab ipſo Pariſio annotatos adjungere placuit, nimirum ne quid tanto Authoris ſtudio collectum deeſſet. Porrò ſciat velim, quod Magnæ Græciæ tabulam ſeorſim in quatuor diviſam partes dare conſultum duxerim. Cui proinde easdem conglutinare, & in unam conformare chartam libuerit, liberum erit: ita ſub uno intuitu comprehendet omnia: Siciliam ex Golzio addere non diſplicuit. Quod ſi proinde hæc exactiore illuſtrare explicatione cuidam placuerit, per me integrum eſto! qui pronum meum erga publicum teſtari animum ſemper geſtio, ſuperiorumq; gloriam ad omnem propagare poſteritatem ſatago. Vale, Lector benevole, faveq; meo, quem offero, conatui, Tibiq; promtiſſima de me obſequia pollicere.

JOH. GEORGIUS VOLCKAMERUS,
Med. D. & Collegii Noriberg. Senior.

EPISTOLA

DE REI MEDICÆ SIMVL AC NVMMARIÆ SCRIPTORIBVS PRÆCIPVIS.

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE VIRO,

DN. D. JOHANNI GEORGIO VOLCKAMERO,

REIP. NORIMBERGENSIS ARCHIATRO EXPERIENTISSIMO, FAC. MED. SENIORI GRAVISSIMO,

CHRISTOPHORVS ARNOLDVS

S. D.

NOn mirum, VIR CELEBERRIME, ſi, quemadmodum Silphium ſuum Cyrenenſes, Lotum Ægyptii, Dictamnum Cretenſes, Malum Medicum Medi, ſive Parthi (nam utriusque nominis communio eſt) ita quoque Helianthemum ſibi proprium Norimbergenſes memoriæ commendant: Tu enim Solem, vitæ diuturnæ autorem, velut Æſculapius alter imitaris; qui ſub præcipua Serapidis (vel Oſiris πολυεμμάτυ, hoc eſt, Solis) perſona, in Æl. Adr. Antonini æreo primæ magnitudinis nummo, non aliam ob

cauſſàm apparet, quàm quod Serapis tot nomina, Jovem ſcilicet, & Ammonem, & Ditem, & Solem, & Æſculapium, eorúmque dotes in ſe continere, antiquitus credebatur. Teſtem ſuſcitabo Tacitum: *Deum ipſum*, inquit, *multi Æſculapium, quòd medeatur ægris corporibus; quidam Oſirim, antiquiſſimum illis gentibus numen; plerique Jovem, ut rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem, inſignibus, quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages conjectant.* Congruunt certè omnia, inconveniens eſt nihil; Apollo enim pater idem cum Æſculapio filio, quem deſcribit Dio Chryſoſtomus ὑγίειαν ἐμπνέοντα ταῖς ψυχαῖς καὶ σώμασιν, *ſalutem inſpirantem animabus & corporibus.* Hinc Apollini, non minus ac filio ſacri ſerpentes, quorum ſymbolo Abonoteichitæ in alio ejuſdem Cæſaris Antonini nummo utrumque Deum, mox adventurum, adumbrabant; alter enim ſerpentum jacentis caput quaſi mordens, Apollinem ipſum innuebat, Æſculapii filii aures lambentem, & vaticinandi peritiam, qua proſpiceret civibus, illi inſpirantem; ut ſcitiſſimi, peritiſſimíque rei nummariæ interpretis Spanhemii indicio, velut oraculo obſequar. Quid? quod Epidaurii iſtius hoſpitis, Æſculapii nummum ejuſdem Antonini nobis repræſentat; qui Romam ſcilicet Epidauro valetudinis cauſſa accerſitus, draconis effigie Vrbi ſalutem, Tiberinæ verò Inſulæ nomen ſimul attulit ac tutelam; unde jam in poſterum non peregrini Medici, ſicut Toxaris apud Athenienſes Divis eo nomine adſcriptus, ſed quaſi indigenæ vicem Vrbi Æternæ præſtiterit hic Medicorum parens. Haud inſuetum verò huic ſalutari Deo, ſua quoque præſentia alias beare civitates, liquet ex Coorum nummis, aliorúmque locorum, in quibus idem ΣΩΤΗΡ inſcribitur; velut etiam id ipſum nomen in nummis Epidauriorum, ſub draconis forma tributum videas. In opulenta Chriſtianiſſimi Galliarum Regis penu antiquaria ὁ πάνυ Spanhemius nummum inſpexit mole & magnitudine ſingularem, Alexandri Severi ætate ſignatum, cujus vultum præfert; in averſa parte ſerpentem cum ara & arbore, & inſcriptione hac, ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΝ. Et ne quid intentatum hîc relinquam, credit idem, Gordianum in nummo deſignari Bithyniam peragrantem, & quaſi alterum Æſculapium, ceu gratum ſalutis autorem, conſpicuum inibi factum: Inſtar verò præſentis Æſculapii exceptum à Nicæenſibus arguere videtur baculus, ſerpente involutus. Illum Nicææ cultum, haud minus ac Epidauri, liquet ex alio rurſus nummo Antonini Pii; in quo Æſculapius

cum

Pet. Seguinus in Select. Numiſm. pag. 2. & 4.
Lib. IV. Ann cap. 84. n. 8.
Ez. Spanhem. Diſſert. III. pag. 177. & ſeqq.
Spanhem. ibid. pag. 248.

cum ſerpente ac epigraphe, ϹΩΤΗΡΙ ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΝΙΚΑΙΕΙϹ. Præterea ſimilis nummus, ſub M. Aurelio, à Pergamenis ſignatus; in cujus averſa parte Æſculapii Pergameni ſtatua cippo innixa, utrinque duo fluvii recumbentes, Selinus ſive Sellenus intermeans Pergamum, & Cetejus præfluens, cum ramis Apii, ceu videtur, fluviatilis; infrà coronæ.

Ibid. pag. 484 485.

Quid multa? intermeat Pegneſſus (ſi placet) Segodunum, ceu Sellenus Pergamum; Æſculapium noſtrum cippo ſive clivo Norimbergenſi hodiéque niti accoli, clara res eſt; cui & ſtatuam & coronas grata debebit poſteritas. Ipſam profectò urbis noſtræ Salutem teſtor: Medicinam facis omnibus, VOLCAMERE EXCELLENTISSIME, & morbis & libris & nummis; nec ſicut aliàs Medicorum filii ſalutis, ſic Tu eruditionis cauſſa triſtiora remedia adhibes; ſed ſermones jucundos, doctos, atque invitabiles, & cum quadam illecebra ac voluptate utiles, ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Rem nummariam non ut panchreſtum (utar voce Tulliana) medicamentum tractas; ſed nummis ipſe haud parcens recentibus antiquitatem unicè curas; hoc inſuper cauſſæ (ut autumo) ſumens, quod neque in ornanda Plantarum hiſtoria ſupervacuam omnem hanc nummorum veterum ſupellectilem cenſes: Etenim qualis olim fuerit figura *Silphii*, aut *Laſerpitii* Cyrenaici, non aliundè hodiè, quàm ex nummis diſcitur; & præclaris aliquot Ægyptiorum tum flos *Loti*, tum caulis, tum fructus exprimitur; *Strobilum*, ceu *Nucem pineam*, vetus illud Vindelicorum inſigne videmus in vetuſtiſſimis Auguſti nummis, apud Marcum Velſerum, excellentem rei nummariæ, æquè ac Reipub. ſuæ quondam Antiſtitem. Id ipſum evincit ulteriùs copioſa veterum numiſmatum ſupellex, in quibus *Abies* Germaniæ, *Apium* Selinuntorum, *Olea* Athenienſium, *Palma* non Tyri ſolùm, Damaſci, Judææ, Alexandriæ, ſed Phœnicum præterea in Sicilia, Africa, & Hiſpania Coloniarum; *Spica* Italiæ, Siciliæ, Hiſpaniæ, Ægypti, Africæ; *Vitis ramus* Arabum, *Manna* urceo inſerta Hebræorum; *Roſa* denique (ut vulgò exiſtimatur) Rhodiorum vel inſignia, vel quaſi indices quidam conſpiciuntur: Nonnius ad Goltzium *Heliotropium*, alii *Roſolaccium* eandem plantam interpretabantur; ſed *flos mali Punicæ*, ſeu *Balauſtium*, quo ad tingendas lanas Rhodii olim utebantur, Iſ. Voſſio videtur; quem non ſolùm Magnæ Britanniæ, ſed univerſi Orbis doctorem, mirifica omnium conſenſione, meritò

Idem Diſſert. IV. pag. 153. ſeqq.

Lib VI. Rer. Vind. Aug. f. 286.

meritò veneramur. Herculis fabulam de dracone, arboris in Mauritania cuſtode, ab eodem interemtò, & apportatis inde in Græciam *aureis Heſperidum pomis* ſignant antiqui Getæ nummi; quorum alter à Triſtano etiam allatus eſt. *Plantæ peculiaris* trifida exprimitur in nummo Camaræ, apud Goltzium, quæ urbs Getæ fuit; in qua inſula ἱδρύτρω, & plantis ſui generis feraciſſima multi Botanici alebantur à Romanis Imperatoribus, & quotannis Romam mittebantur vaſa plena Creticis plantis, è viminibus contexta; quæ palmis trifidis adſcribenda; peculiares erant huic inſulæ. Ramum *thuriferæ arboris*, cum *calamum* præterea *odoratum*, ex præclaro Trajani nummo opportunè eruit itidem Cl. Triſtanus; qui & coronam ex *Hypogloſſò*, ſeu *Lauro Alexandrina* in raro Myrinæorum nummo obſervavit. Advocat hic præterea feliciſſimæ indaginis antiquarius, Spanhemius, *Ficum Ruminalem*, quam cum paſtore Fauſtulo, Lupa ac gemellis ſignat obvius gentis Pompejæ denarius apud Vrſinum. Talis fortè vel Comagenorum in Syria nummus, cum applicato flore ſeu herba, & Cleopatræ alicujus effigie, in anteriori parte; aut Antiochi Evergetis, cum flore itidem aut herba, in averſa nummi area: Eandem verò plantam eredit Vir doctiſſimus cum herba in illo tractu celebri, & à natali ſolo *Commagene* itidem dicta (ſicut herba *Rhodia*, vel *Idaa* radix) ex qua præſtantiſſimum, & quantivis pretii medicamentum, *ad perfrictiones, convulſiones, cæcos ac ſubitos dolores, utiliſſimum*; quod impensè laudat Plinius.

Tom. II. Comment. fol. 285.

Tom. II. Comm. fol. 341.

Lib. XXIX. Hiſt. Nat. cap. 3.

Cæterum quod exemplo fit, VIR EXPERIENTISSIME, jure fieri putas; habes etenim Tibi documento illos exempli viros, illos ſeculi decus, *documen mortalibus acre*, Medicos, antiquitatis nummariæ cultores peritiſſimos, perfectiſſimósque: Ex his, inquam, ſimilitudinem ducis; inde Tibi, quod imitere, capis; & hanc ipſorum laudem, imitando, cupidiſſimè proſequeris. Magna eorundem nomina brevi ſic habeto:

THOM. BARTHOLINUS, Archiater Regius, in Academia Hafnienſi Profeſſor quondam Honorarius, & Facultatis Medicæ Decanus, *Philippi* cornua, capiti accommodata, itemque cornua obvertentem *Attilam*, nec non *Moyſen* cornutum è nummis accuratè exponit in *Obſervat. Novis de Unicornu, cap. 2. & 3.* IDEM eruditè diſſerit de vetere Danorum pecunia, qui in æreis ſuis (ex vaſis teſtaceis, in Cimbria & Fionia erutis) contenti ſimplici *corona, gladio, & cruce*; poſtea vocem

ſolam

ſolam addiderunt *Regis*, mox nomina propria cum imperio populorum, ut, *Ericus Rex Danorum*, cum gladio; denique nominis vultúsque ratio invaluit. *Orat. in Obitum Joh. Mulenii, pag. 30. & ſeqq. Hafniæ, a. 1669.* Quomodo Crux Danebrogica, in ſpatio ſuo ſola concluſa, inter Daniæ & Norwegiæ inſignia proprium locum occupet, è nummo æreo Chriſtiani Tertii A. C. 1536. Hafniæ & Ripis cuſo, IDEM oſtendit; florentésque iſtas Crucis & nodoſas protuberantias exponit nummus Olai Regis Norwegiæ; ſolam verò Crucem in aliis nummis vetuſtioribus, quorum ætas ignoratur, conſpiciendam præbuit in *Equeſtris Ordinis Danebrogici Origine, Hafniæ, a. 1676.*

CASP. BARTHOLINUS, Filius Thomæ ſimillimus, Anat. & Medic. in eadem Academia Regia Profeſſor Ordinarius, illum M. Velſeri nummum, à Schotto exhibitum in notis ad Zenobianum, meliore jure ex eo ritu explicari poſſe, quo cantores labia & faciem capiſtris conſtringebant, ne tumeſcerent, cum doctiſſimo Cupero prætendit; deinde buccinam marinam innuit, quam exprimunt numiſmata Bruttiorum, adducta à Goltzio in Græcia quoque Magna; quæ paullò aliter videtur in numiſmate Valentiæ. *Lib. de Tibiis veterum, Romæ, a. 1677.* Quo gratiſſimo munere, ex Italia tunc recens transmiſſo, Autor celeberrimus, ceu prima amicitiæ noſtræ teſſera me ultrò dignatus eſt.

JO. BAPT. CAPPONIUS, Medicus & Philoſophus *Commentarium ſuum de Othone æreo*, impreſſum *Bononiæ, a. 1669.* in Gallias miſit ad Feliciſſimũ & Sapientiſſimum Principem, LUDOVICUM XIV. Galliarum Monarcham; ideóque Rex ei dignitatem Equitis S. Michaëlis contulit.

JO. JAC. CHIFLETIUS, Eques, Regius Archiatrorum Comes, & Archiducalis, Medicus Primarius, varios nummos, in utraque *Veſontionis* parte, expoſuit; velut Æſculapii, Scytharum, Andriorum, Galbæ, M. Agrippæ, Matidiæ, Fauſtinæ, L. Veri, Aureliani, Severinæ, Gothorum ſive Burgundorum, Ateulæ ſive Attilæ, Gallæ Placidiæ, alios. *Lugduni, a. 1618.* IDEM & in *Anaſtaſi Childerici*, Francorum Regis, exhibuit nummum, quem ſignavit Galliæ Narbonenſis Colonia, Nemauſus utriusque Principis (Auguſti Cæſaris, & M. Agrippæ) honori, velut indiviſæ amicitiæ arrham; Græca numiſmata duo, cum bubulo capite; tertium Romanum C. Antii Reſtionis; nec non aureos (in Childerici Regis conditorio, Tornaci Nerviorum effoſſos) Theodoſii puta junioris, Valentiniani III. Marciani, Leonis, Zenonis, & Leonis Junioris, Jul. Nepotis, Baſiliſci, & Marci, & ejus filii, Zeno-

nis tantùm, &c. qui omnes in gremio ipſius Regis collecti, & velut in putri marſupio coacervati, fortè in crumena quapiam è zona, antiquo more, pependerunt: Inerant & argentei Hoſtiliani, nec non Gallieni. Præterea in eodem Childerici ſepulcro reperti ſunt argentei ducenti, eóque amplius; & ex his perforati quatuor, Hadriani ſcilicet, Antonini Pii, Aurelii Veri, & Conſtantii Junioris. Horum quatuor Cæſarum nummos Childericum Regem exiſtimat pendulos è collo propalam geſtaſſe, velut eorum virtutem & gloriam æmulatione quadam imitaretur; vel certè, quod eorum imaginibus crederet ſeſe multùm juvari, ceu Macrianorum familia ſculptum ſemper habebat Alexandrum Magnum, quo dicebantur juvari in omni actu ſuo. Acceſſit & aureum numiſma Heraclii Imp. ejúsque filii, aureo circulo incluſum cum anello, ut è collo geſtaretur; inveniebantur & nummi trium Helenarum, quæ trium Impp. erant uxores; item medalliones quatuor Conſtantis & Conſtantii. *Antverpiæ, a. 1655.*

HERM. CONRINGIUS de *Nummis Hebræorum paradoxa* dedit, *Helmſtadii, a. 1675.* Cujus etiam eadem de re Epiſtola libro Hottingeri de Cippis & Nummis Hebraicis addita eſt. *Heidelbergæ, a. 1662.*

JO. CVSPINIANVS, Schweinfurtenſis, Maximiliani I. Imp. Medicus, Hiſtoriographus, Conſiliarius, & Orator, Operi ſuo *de Cæſaribus & Imperatoribus Romanis* imagines eorundem primis editionibus inſeruit, ſed etiam nummos illorum haud rarò indicavit; maximè verò in vita Heraclii nos docuit ſequentia: *Donavit me,* inquit, *pulcherrimo ac vetuſtiſſimo numiſmate Gremperius meus, dum hæc ſcriberem; in quo prima facie imago Heraclii ſculpta erat, ut pictam prius vidiſti, cum hac Græca inſcriptione:* Βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ καὶ νικητὴς Ἡράκλειος Χριστῷ. *Et quædam præterea alia verba Græca, quæ præ vetuſtate legi non poterant. Sed in reverſo erat ejuſdem imago, curru triumphali, in limbo ſcripta fuerant hæc Latina:* SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVI, ET CONCVLCAVI LEONEM AC DRACONEM. *In medio erant locata hæc Græca:* Δόξα ἐν ὑψίστοις τῷ Θεῷ, ὅτι διέῤῥηξε σιδηρὰς πύλας, καὶ ἠλευθέρωσε ἁγίαν βασιλείαν Ἡρακλείου. *Quod eſt Latinè dictum:* GLORIA IN ALTIS DEO, QVONIAM DIRVPIT FERREAS PORTAS, ET LIBERAVIT SANCTVM SVVM REGNVM HERACLII. *Hæc ne perirent, etiam illuc ſtudioſis adjeci; ut ſi ſimilia invenirent, non occultarent, ut faciunt* βιβλιοτάφοι.

JO. FABER, Bambergenſis, Medicus Romanus, *in Imagines illuſtrium virorum,* ex *Fulvii Vrſini* Bibliotheca, commodiſſimè eruditiſſiméque commentatus eſt. *Antverpiæ, a. 1606.* THOM.

THOM. GVIDOTT, Medicus Angliæ nobiliſſimus, *in Diſcurſu ſuo Britannico, de urbe Bathonia, & Aquis calidis* (quas Antoninus in Itinerario Aquas Solis appellat) è minerali ſuo & ſulphureo tranſitu propulſis, inter antiquitates Rom. inibi repertas, nummos octo commemorat; Veſpaſiani ſcilicet, Trajani, C. Carauſii Britanniæ invaſoris (quem Alectus poſtea vicit) cum his literis, B. E. hoc eſt, Britannicus Exercitus; nec non Conſtantini Junioris, cum his ſignis, P. TRE. hoc eſt, Pecunia Treviris; item Aur. Sev. Alexandri, Conſtantiíque, cum his notis, P. C. hoc eſt, Pecunia Conſtantinopolitana; ut & in alio Valentiniani II. denique Conſtantini. De Romanis inſcriptionibus, imaginibúsque additis, ne quid dicam. *Londini, a. 1676.*

GEOR. HENISCHIVS, Medicus & Mathematicus Auguſtanus, non ſolùm *de Numeratione multiplici, veteri & recenti*; verùm etiam *de Aſſe, & partibus ejus*, geminos adornavit libellos, *Auguſtæ Vindel. a. 1605. & 1606.*

CONST. LANDVS, Placentinus, præter methodum de tuenda valetudine, explicationes quoque in vetera Romanorum numiſmata edidit, *Lugduni, a. 1560.*

WOLFG. LAZIVS Medicus, Viennenſis, *Reipublicæ Rom. in exteris provinciis, bello acquiſitis, conſtitutæ, Commentariorum lib. XII.* concinnavit; in quibus munia tam militaria, quam civilia, exercitus, legiones, claſſes, coloniæ, municipia, ornamenta, ſigna, veſtimenta, arma, ritus denique cuncti, ludi & ſacra, ex hiſtorica nummorum fide repræſentantur, *Francofurti, a. 1598.* IDEM inſuper *Hiſtoricarum Commemorationum rerum Græcarum libros duos* Ferdinando Imp. & Maximiliano Regi conſecravit; in quibus tam *Hellados*, quàm *Peloponneſi*, quæ in lucem antea non venerunt, ex antiquiſſimorum nummorum ſymbolis illuſtrantur. *Hanoviæ, a. 1605.*

FORT. LICETVS, Genuenſis, in Academia Patavina Theoricus Supremus, ita reſponſis ſuis explicuit *Hieroglyphica, ſive antiqua ſchemata Gemmarum annularium, Patavii, a. 1653.* ut præter nummos ſcorteos, ligneos, oſtracinos, Achillis quoque & Alexandri M., item cum cadavere ſepultos, nec non Veſpaſiani, Neronis, & Heraclii, alióſque recentiores interpretando, *in Lucernis antiquorum reconditis, Utini, a. 1653.* doctè explanant.

LVD. NONNIVS, Medicus Antverpianus (in cujus Diæteticon, ſive de Re Cibaria libros IV. C. Gevartius tali luſit epigrammate,

Hoc agit, ut conſtet mens ſana in corpore ſano,
& colat usque tuos, mitis Hygeja, lares)

Græca æquè ac Romana numiſmata, ab Hub. Goltzio quondam ſculpta, ſingulari commentario diligenter illuſtravit. *Antverpiæ*, apud Balth. Moretum, *a. 1644.*

ADOL. OCCO, Medicus Auguſtanus, *Imperatorum Romanorum numiſmata, à Pompejo M. ad Heraclium* (editione altera) multis nummorum millibus aucta, emiſit *Aug. Vindelicorum, a. 1601.* Hunc ipſum verò Occonem impulit & adjuvit, immò ad opus hoc ſuſcipiendum ac perficiendum ſumtus ultrò ſuppeditavit *Marcus Velſerus*, Vir & eruditione & vitæ genere talis, ut à bonis ac doctis omnibus certatim diligi adhuc mereatur. Occoni præterea fecit Medicinam Medicus (de quo poſtea) *Jo. Vaillant* præfatione ad numiſmata ſua Imperatorum: *Cum Adolphus Occo*, ait, *iterata editione uberrimum nummorum Imperialium indicem ad ſingularem uſum eorum, qui his delectantur, vulgaverit, in quos pars nummorum, quos collegi, deſcripta eſt, eorum obſequi ſtudiis recuſabam. Inſtiterunt tamen urgere vehementius, ac multa cauſſari: nulla ſupereſſe bibliopolis* » *Occonis exemplaria; & ſi ſuppeterent, aliquid tamen accuratius hodiè requiri:* » *eum ſcilicet Latinos nummos quosdam fictitios protuliſſe, ſive indicibus ad ſe* » *miſſis, ſive oculis ætate caligantibus; Græcorum deſcriptionem inemendatam ex* » *libris quibusdam in ſuum tranſtuliſſe; multos è ſuis imperfectos & mutilos dediſſe. Hæc in tanta eruditionis viro annotata deterrebant.* Operam verò huic auctori doctam atque ſtrenuam, intra quadriennium, perhibuit eruditiſſimus Italiæ Comes, *Mezzabarba, de Biragues*, Mediolanenſis, qui rariſſimum hunc ſcriptorem denuò ſub incudem revocare, largoque additamento nummorum augere haut deſtitit; quod non una literarum ſignificatione ingens ille Orbis literati Heros, *Ant. Magliabechius*, Magnæ Hetruriæ Ducis Bibliothecarius, omnium ſermone ac calamo celebratiſſimus, more ſolito, me ultrò harum rerum cupidiſſimum, docuit.

CAR. PATINVS, Eques D. Marci, Doctor Medicus Pariſienſis, & in Academia Patavina Profeſſor (Regio enim diplomate Pariſiis Venetias a. 1676. allato conſtat, illum Profeſſorem in *Chirurgia* fuiſſe, omnium collegarum ſuffragiis a. 1658. & anno ſequenti in *Pathologia*, quæ

quæ apud Gallos primum locum occupat, magna cum laude functum) *Familias Romanas, in antiquis numiſmatibus, ab Vrbe condita, ad tempora D. Auguſti, ex bibliotheca Fulvii Vrſini, cum adjunctis Antonii Auguſtini, Epiſcopi Ilerdenſis*, reſtituit, recognovit, & auxit, *Pariſ. a. 1663.* EJUSDEM quoque eſt *Inſtruction à l' Hiſtoire, par la connoiſance des Medailles*, cum Medicam regeret Facultatem, *Pariſ. a. 1665.* IDEM & *Imperatorum Romanorum numiſmata, ex ære media & minima forma*, deſcripſit enarravítque, *Argentinæ, a. 1671.* Quid Vir ille acutiſſimus in variis obſervârit itineribus ſuis, per plurima omnis fermè Europæ muſea atque gazophylacia, abundè ſatis teſtantur *Quatre Relations Hiſtoriques*, editæ ſimul *Baſileæ, a. 1673.* Quid? quod IDEM ille *Suetonii Opera, quæ extant, notis & numiſmatibus illuſtravit*, ſuíſque ſumtibus edidit, *ibid. a. 1675.* Super hæc, *totus ſum* (inquit) *in rebus Medicis, & pro παρέργῳ in Plinii panegyrico*; cui è nummis etiam clariſſimum lumen ſe prælaturum ſcripſerat, *Patavii 7. Dec. 1678.* Et poſt nonnulla ſic pergit: *Opus immenſum habeo ad manus, ſex mille numiſmatibus refertum, hiſtoricis omnibus, rariſſimis omnibus; opus certè, quod hactenus edita longè ſuperat. Editionem duo prohibere videntur, temporis inopia, & penuria. Dabit Deus utraque commoda.* Interea autem contentiſſimi ſumus *Theſauro numiſmatum*, ſumtibus ipſius autoris *a. 1672.* edito. EIDEM varias debemus diſſertationes *de numiſmate antiquo Auguſti & Platonis*, nec non *Horatii Coclitis, per Optimum Imp. Trajanum reſtituti*; item *Judicium Paridis, de tribus Deabus latum, in numiſmate Imp. Antonini Pii expreſſum*; immò & *Natalitia Jovis, in numiſmate Imp. Antonini Caracallæ expreſſa*, intervallo temporis non nimis longo, *Baſileæ, a. 1675. Patavii, a. 1678, 1679, & 1681.* in publicam lucem emiſſas. IPSE & Italicè coactus fuit ſcribere, quæ tamen prius Gallicè compoſuerat, *Le pompoſe feſte di Vicenza, fatte nel meſe di Gjugno, del 1680, in Padova*; è quibus feſtivis deliciis elucent nummi aliquot præſtantiores, Liveneji Reguli, Neronis, Trajani, Caracallæ, M. Aurelii, Commodi, Alex. Severi, Numeriani, Getæ, Philippi. Anno ſuperiore *Joh. Henr. Eggelingus*, Secretarius Reip. Bremenſis, JCtus, omniſque antiquitatis callentiſſimus, alternis vicibus *epiſtolas* aliquot, inter ſe & Patinum, *de re nummaria*, reciprocavit ediditque; in quibus ipſe Medicus herbam illi porrigit, ubi de nummo quodam Neronis erudita lis eſt. Ingratus verò ſim, nî ultrò fatear, per quem profecerim; cum enim de *Apollonitarum* nummo ambigerem, Patinus mihi ſtatim hunc indicavit è

libro, quem olim *Du Choul* vulgavit *de Religione Romanorum, pag. 139.* hæc inſuper ad me perſcribens: ΛΥΣΩΝ *ſit Bacchi* ἐπίθετον, *ſolvit enim curas; quod olim D. Paulus docuit Titum, ni fallor, ac me Parens meus. Sint Bacchantes in averſa parte*, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΔΩΡΟΝ.

ANT. PISO, ſive POIS, Lotharingiæ Ducis Conſiliarius & Medicus, utiliſſimum ſcripſit libellum, ſed Gallicè: *Diſcours ſur les Medalles & Graveures antiques, principalement Romaines, avec une expoſition particuliere de quelques blanches ou tables eſtans ſur la fin de ce liure, eſquelles ſont monſtrees diverſes Medalles & Gravereures antiques, rares & exquiſes.* Mamerc. Patiſſon impreſſit *Pariſ. a. 1579.*

ALB. QVATROCCHVS, Medicus Venetus, accuratè diſputavit in ſuo, de *Officina pharmaceutica veris & legitimis antiquorum ponderibus*: in hac ipſa enim diſputatione pondera monetaria Veneta reſpondere iis, quibus ætate Galeni utebatur Antiquitas, ex Alciato, Budæo, Portio, aliiſque comprobavit: Id ipſum ſcilicet *Vncia* (hodiè Zechinus Venetus) *Denarius, Semidenarius, Drachma, Semuncia, Stater, Obolus, Libra, Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Selibra, Dodrans, As, Solidum, Mina, Lepton, Chalcos, Dichalcos, &c.* gravitate ſua ſatis & abundè confirmant. *Venetiis, à 1617.* Nec ſine cauſſa *Marſ. Cagnatus*, Doctor Medicus & Philoſophus, de *Drachma, Triobolo, Talento*, occaſione veterum poëtarum Ariſtophanis ac Plauti, jocoſam narrationem clariùs recenſet: Philocleon, inquit, ſenex ille apud Ariſtophanem Veſpis, judicandi deſiderio inſanus, narrabat, ſe à Lyſiſtrato (qui ipſe etiam unus ex judicibus fuit) ſemel hunc in modum fuiſſe deceptum: Judicis merces quotidiana *Triobolus* erat; Lyſiſtratus die quadam integram acceperat *Drachmam*, cujus dimidium Philocleoni præbere debuiſſet. Veniunt illi in macellum; ibi inter piſces Lyſiſtratus *ſquamas tres* cephalorum pro *Obolis tribus* collegæ tradit; ille cum propter matutinas tenebras non ſatis diſpiceret, putavit ſe Obolos accepiſſe. Hinc non adeò vulgatum intelligitur, *Obolum* quoque fuiſſe nummum argenteum; ſed tam exiguum, ut potuerit aliquis in tenebris pro *Obolo ſquamam* piſcis recipere, ſplendore captus & figura; cum in utriusque magnitudine parum, aut nihil intereſſet. Ille quidem ſtatim odore dolum intellexit, ſed deceptor in deceptum culpam rejecit, quaſi ipſe dolum machinaretur, qui argentum devoraſſet, & ſquamas pro argento accepiſſe mentiretur: Quamobrem illum notavit, tanquam galli ventrem haberet,

beret, qui poſſit argentum concoquere. *Lib. IV. Var. Obſerv. cap. 6. Romæ, a. 1587.*

THOM. REINESIVS, Med. D. & Poliater Altenburgenſis, *in Epiſtolis ſuis ad Viros Clariſſimos, D. Caſp. Hofmannum, & Chriſtoph. Adamum Rupertum*, Profeſſores Noricos, ô quantum nummorum cum ipſis inſcriptionibus conciliavit, quos vix numero comprehendamus! *Lipſiæ, a. 1660.*

JO. RHODIVS, ab arte medicinali, variáque doctrina non mediocriter instructus, Græcorum Sigma, ab utroque latere lunatum, ex argenteo Lyſimachi, & æreo paucis noto, alióque argenteo, ſpoliis Herculis nobilitato, cum cura oſtendit, in *Diſſert. de Acia, Patavii, a. 1639.* IDEM & Juſti Lipſii de Re nummaria Breviarium, opus poſtumum, è Laur. Pignorii muſeo, tandem in conſpectum protulit, *Patavii, a. 1648.* Cæterum antiquo Romanorum nummo æreo, paucis adhuc viſo, atque uno & altero argenteo Scriboniorum titulo ſignatis, & Putealis Scriboniani ectypo, ad illuſtrandum autoris nomen, eruditè uſus eſt; nummíque Cyrenaici, qui caulem Laſerpitii, à Joh. Parkinſio in Appendice Theatri Botanici effigiatum exhibet, è pinacotheca ſua ſpeciem elegantiorem expreſſit in *Emendationibus & Notis ad Scribonii Largi Compoſitiones Medicas, Patavii, a. 1655.* EJVSDEM nummum cum mitra Trojana, quæ Sereniſſimi Ducis Veneti mitram proximè refert; unà cum Epiſtola ipſius, in qua Atys imaginem è nummo producit, *Ol. Wormius lib. V. Monum. Danic.* abundè percelebravit.

HELISCVS ROESLINVS, Med. D. Civitatíſque Imperialis Hagenau Phyſicus olim Ordinarius, in ſingulari ſuo libello, *de Alſatia, & verſus Lotharingiam Montium Waſgovienſium mineralibus victualibúſque cap. X.* trecenta commemorat numiſmata, ut plurimum ærea, à C. Jul. Cæſare usque ad Arcadium, in fundo putei reperta: Quam deſcriptionem patrio condidit ſtylo, emiſitque *Argentorati, a. 1593.*

JO. SAMBVCVS, Tirnavienſis Pannonius, Medicus Maximiliano II. Imp. gratiſſimus, Jo. Groliero, Quæſtori Regio & Conſiliario Lutetiæ, antiqui operis numiſmata (quæ is adeò, extollebat) æreis maximè raris cumulata nuncupavit; ut vel ſummis Cardinalibus admirabiles Romæ, & per Italiam Principibus fuerint: Præſertim *Otho æreus* (quod ſciam, ait) in Europa unicus. Sub finem Emblematum aliquot, *Antverpiæ, a. 1576.*

LVD.

LVD. SAVOTIVS, Medicus Regius, & Facultatis ſaluberrimæ Pariſienſis, Diſcurſu in partes quatuor diviſo, de nummorum veterum materia, pondere, valore, & ingenuis eorundem notis, non minus eruditè, quàm verè ac ſolidè ſcripſit. Integer libri illius Gallici titulus hic eſt: *Diſcours ſur le Medailles antiques diviſé en quatre parties; eſquelles il eſt traitté, ſi les Medailles antiques eſtoient monnoyes: de leur matiere: de leur poids: de leur prix: de la valeur, qu' elles peuent avoir aujourd' huy, ſelon qu' elles ſont rares ou communes, antiques & vrayes, ou bien modernes, contrefaites ou moulées: Qu' elles ſont celles, qui ſont telles: Par quels moyens & marques il les faut reconnoiſtre: Et de pluſieurs autres choſes peu' connuës, concernant les monnoyes, les metaux, les mineraux, les meſures, & poids antiques.* Apud Sebaſt. Cramoiſy, *Pariſiis, a. 1627.*

PET. SERVIVS, Medicus Romanus, de rariſſimis inſcriptionibus, per omnem Italiam collectis, valdè ſollicitus, exempla in lapidibus, nummis, & æneis tabulis inter ſe componere haud neglexit; in *Juvenilibus* ſcilicet *Feriis*, quæ antiquitatum Romanorum *Miſcellanea* continent. *Romæ, a. 1640.*

M. AVR. SEVERINVS, Thurius Tarſienſis, Philoſophus ac Medicus, in Reg. Lyceo Neapolitano Anat. & Chirurg. Profeſſor quondam primarius, numiſmata Neronis, M. Acilii, Cl. Tiberii, Getæ, Adriani, Vitellii, aliorum demonſtravit in *Vipera Pythia, Patavii, a. 1650.*

JAC. SPONIVS, Medicinæ Doctor & Profeſſor, Collegio Lugdunenſi Aggregatus, Doctrinarum multiformium, variarúmque memoriarum veterum columen, multimoda arte diſtinxit ſcripta ſua: Illus enim eſt Scrutinium Antiquitatum Lugdunenſium (*Recherche des Antiquités & Curioſités de la ville de Lion, a. 1673.*) ubi plurimos expoſuit nummos Didii Clodii Albini, Juliani Apoſtatæ, Magnentii, Valentiniani, Gratiani, Maximi, Ser. Galbæ, cum tribus Galliis, alióſque: IDEM quot Græca expreſſit numiſmata Othonis, Heroinæ Nauſiacaæ; quot inſularum, quot fœderum? *Voyage d' Italie, de Dalmatie, de Grece, & de Levante, Tom. I. Amſtelod. a. 1679.* ſub finem. IDEM in *Miſcellaneis ac erudita antiquitatis*, ſive Supplementis Gruterianis (quorum *ſectiones duas, a. 1679. & 1682.* editas videre licuit) ſigna panthea, gemmas varias, nummum Antonini, quoſdam Smyrnæ, L. Septimii Severi, Juliæ Auguſtæ, Jovis Caſſii; nec non numiſmata aliquot tripodibus inſignita, primus luci publicæ dedit. Acceptum denique Oraculo huic

huic reſponſum refero, quod verbis meis ab Amico eruditiſſimo interrogatus, de æreo illo nummo, quem ſupra commemoravi, accuratè reſpondit: *Bacchi illam effigiem eſſe, falſariumq́;* ΑΤΩΝ (*ita enim legi putat*) *adſcripſiſſe pro* ΔΥΟΝ. Quem nummum Du Choul vulgaſſe, Car. Patinus primùm mihi indicavit.

THEOPHRASTI Paracelſi, *de ſummis Naturæ myſteriis Commentarios tres* Gerardus Dorn convertit, multóque quàm anteà fideliter characteriſmis (hoc eſt ſigillis, in medicorum fortè nummorum cenſu habendis) exornavit auxitque, *Baſil. a. 1584.* Socii verò putandi ſunt, quos inter ars communicata eſt; quamobrem aſſeclas illius eſſe cenſeo (binos Sacerdotes) *Camillum Leonardum, in Speculo Lapidum*, cui acceſſit *Sympathia ſeptem Metallorum, ac ſeptem ſelectorum Lapidum*, ad Planetas, *D. Petri Arlenſis, de Scudalupis*, Presbyteri Hieroſolymitani, *Pariſ. a. 1610.* nec non Joh. Gaffarellum, quem Doctores quidem Sorbonæ cenſura ſua graviter notarunt, in Curioſitatibus inauditis (*Curioſitez inouyes ſur la ſculpture Talismanique des Perſans, a. 1037.*) Hunc verò librum Latina induit veſte, & commentariis ſuis poſtea illuſtravit *M. Georgius Michaël*, Præpoſitus Regius Flensburgenſis, *Hamburgi a. 1678.* De cætero inſignis autor ille deliciarum Gallicarum, *Mercure Galant*, menſe Januario anni ſuperioris, præter ſtatum, vitam, & ſcripta illius autoris ſimilia quoque ſigna & numiſmata breviter enumeravit. Neque ab illorum triga ſubmovendus eſt Vir magni nominis, & multæ antiquitatis, *Jul. Reicheltus*, cujus *Exercitationem de Amuletis*, æneis figuris illuſtratam, *Argent. a. 1676.* ſæpiculè ſum admiratus.

JOH. VAILLANT, Bellovacenſis Doct. Med. & Regius Antiquarius, *Numiſmata Imperatorum Romanorum præſtantiora, à Jul. Cæſare ad Poſtumum & Tyrannos*, & quidem tomum *primum* de Romanis *æreis*, ſeu Senatus conſulto percuſſis; ſed *ſecundum* tomum de *aureis & argenteis*, forma ac magnitudine rariorum nummorum diligenter annotata, *Pariſiis a. 1674.* ſuis ſumtibus evulgavit. Juſſu autem Illuſtriſſimi COLBERTI (uti Is in præfatione ſua de ſe fatetur) *totam Italiam* perluſtravit, Principum & Ducum Sabaudiæ, Hetruriæ, Parmæ, & Mutinæ gazas, tanti Viri nomine attentè obſervavit; & *Romæ* iterum biennio moratus eſt, ubi nova & immenſa nummorum congeries ab Ipſo comparata fuit: Quæ ut ex populorum omnium collectis opibus locupletaretur, juſſus ab Eodem eſt in *Siciliam* proficiſci, *Græciam* & *Aſiam minorem* pervagari; ubi ſingulares & nondum conſpectos nummos à ſe collectos

ſcribit. Quis conſideratior illo? quis tectior? quis prudentior? In literis enim familiaribus, quas ad Illuſtrem Virum, DN. CAROLVM VELSERVM, Hiſtoriæ & Antiquitatis ſtudio ardentiſſimum *d. 30. Martii, a. 1680.* peramanter dedit, inter alia ſic fatur: *Goltzius nous à donné quantité de medailles, qui ne ſe trouvent pas, comme des Jules, dont vous me parlez, comm' auſſy d' une infinité de Conſulaires & de Grecques, tellement que cet auteur n' eſt pas ſeur, il eſt aſes fautif, & auroit beſoin de beaucoup de notes, quoi quil ſoit aſſez bon d' ailleurs.* Quid lateat in theſauris ſuis, quas nobis coloniarum gazas in tertio illorum Numiſmatum tomo polliceatur, ſine recuſatione ſubjungit: *Il eſt composé de la deſcription de 3260. medailles, que je toutes veües & 368. villes differentes, divisées en* deux *parties: dans la* premiere *chaque medaille eſt ſous ſons Empereurs, ou Imperatrices, & dans la* ſeconde *chaque ville la toutes ſes medailles de divers Empereurs.* IDEM Seleucidarum Imperium, ſive *Hiſtoriam Regum Syriæ*, ab Alexandro Magno ad Pompejum uſque Magnum, à quo Syria in provinciam redacta eſt, per annos CCL. labore quidem non exiguo, ſed integra tamen ſerie, ad fidem numiſmatum accommodatam, abſolvit *Lutetiæ, a. 1681.* Sub finem præfationis, quam Syriæ regno præmiſit, lecturum certioris ſpei implet, his uſus verbis: *Erit fortaſſe tempus, cum & Ptolemæorum Hiſtoriam, eorum nummis illuſtratam, edam in lucem.* Nec ſanè admiranda Illius eruditio, de futura hac opera, dubitare nos patitur, cumprimis, ſi & in Ægyptiorum nummis notæ numerales expreſſæ ſint; neq; epochis ſuis (de quibus in ſingulari libello Conringius ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, olim valde ſollicitus erat) illi deſtituantur.

OL. WORMIVS, D. Medicinæ, & olim in Academia Hafnienſi P.P. longè celeberrimus, de nummo mortuis in os dato, item duobus Ludovici Imp. argenteis, prope Lethram effoſſis, cum cura egit, in *Danicorum Monumentorum libris ſex, Hafniæ, a. 1643.* Eadémque induſtria inſcriptiones numiſmatum Hiſpanicorum, ab Ant. Auguſtino, Archiepiſcopo Taraconenſe, propoſitorum, in quibus literæ Runicæ apparent, in lucem produxit, ſententiámque de illis hanc tulit: Gothos ſcilicet, qui olim Hiſpaniam incoluere, hæc fabricaſſe; eos enim ſua peculiaria habuiſſe numiſmata, tam in Hiſpania quam in Italia ipſe Antoninus docet; dum penes ſe ejus generis fuiſſe fatetur. Sed ſummus Ariſtarchus ille, Spanhemius (qui facit ea omnia more modeſto, rémque nummariam acri ingenio, ſubtilíque judicio percenſet) omnes id genus

peregrinis

peregrinis aut barbaris literis inſculptos, priſcis Hiſpanicis, hoc eſt, in Hiſpania (ubi quotidiè multi adhuc effodiuntur) percuſſis, viros doctos ſecutus, annumerare videtur. Tandem Wormius numiſmata de Celſa juvene Leridenſem nummum ex orichalco, alium quoque Afranii cujusdam deſcripſit in *Literatura Runica*, *Hafniæ*, *a. 1651.*

Habes hîc, MEDICORUM NOBILISSIME, ſæpiùs petitam ſyllogen Jatrophilologorum, in quorum enumeratione (dum brevis eſſe volui) nimis diu verſatus ſum; nec omnes ediſſertavi: Plures enim adhuc omiſſos ſuperare autumo, quos ſanè Etruſcum illud Oraculum (noſti, quem mihi velim) percurrere epiſtola, uti ſpes quidem erat, facili negotio poſſet. Inter hæc perbellè feceris, ſi MAGNAM GRÆCIAM (hoc eſt, Calabriam Siciliámque, unà cum Regno Neapolitano) quam PROSPER PARISIUS, Patricius Romanus, V. J. D. exactè delineatam, & nummis circumpoſitis, *Romæ Kal. Jan. a. 1592.* primitus pervulgavit, meliore forma, & ſecunda cura, Germanis tuis parili, quo polles, animo, rurſus luci crediderís: Nihil eſt omninò, quod Tibi majori gloriæ, aut fructui eſſe poſſit, quàm omnibus eſſe fructuoſiſſimum; dum omnia ad aliorum utilitatem refers: Tua mens nihil præter publicum commodum videt! Impingat Tibi fortaſſe aliquis Goltzii nummos (ceu videntur ſaltim) ſimillimos? Ne opprobra, Lector erudite; haud enim te latet, Goltzium ante Pariſium numiſmata ſua primùm edidiſſe; qui non ſolùm novos, nec Goltzio unquam viſos addidit; verùm & quàm plurimos correxit, & diverſitatem notanter velut oculatus teſtis indicavit. Ad explicationem literarum, enodationemque nominum quod attinet, utraque ex *Andr. Schotti* ſcholiis, (quibus autorum loca, quæ deerant in altera editione, indicantur) & prolixo *Lud. Nonnii* commentario in Magnam Græciam peti prolubitu poteſt. In auxilium quoque hîc venit *Philippus Paruta*, in *Sicilia* ſua, cum nummis deſcripta, *Panormi*, *a. 1612*; & cum *Leonhardi Augustini* addidionibus, *Romæ*, *a. 1649.* rurſus ſub incudem revocata: Exhibita inſuper ab eodem Paruta antiqua Panormitanorum numiſmata *Annalibus* ſuis *Panormitanis*, Italicè ſcriptis, inſeruit, explicavítque *Augustinus* ille *Juueges*, tribus voluminibus, *Panormi*, *a. 1649.* Hunc poſtea ſecutus, in Epiſtola de *Charondæ* effigie, in Catanenſi nummo expreſſa, ad Cl. V. Petrum Seguinum, *Raph. Trichetus du Freſne* ſimilem ferè nummum dediſſe Parutam ſcribit, inter Catanenſes ſuos numero

P. Seguini Sel. Numiſm. ſub f. pag. 190. 191.

numero ſecundum; niſi quod viri effigies querna, ut videtur, corona redimita eſt. Si conjecturæ locus datur, expreſſam à Catanenſibus in hiſce nummis Charondæ effigiem credit. Hic Catanenſis fuit, & ſua ætate (flo- [*Lib. XII.*] ruit autem, ut notat Diodorus Siculus, circa Olympiadem LXXXIII.) ſapientia clarus, Pythagoræ olim ſectator, philoſophiam *in vicinis magnæ Græciæ urbibus* docentis. Charondas autem non ſolùm civitati ſuæ leges ſcripſit, ſed & aliis *Chalcidicis* per Italiam *civitatibus*; ut legimus [*Lib. II. Polit. cap. ult.*] apud Ariſtotelem. Et certè apud Ælianum, præter *Catanenſem*, *Rhegi-* [*Lib. III Var. Hiſt. cap. 17.*] *nenſium* etiam rempublicam ab eo conſtitutam fuiſſe legimus; cum patria aliquando pulſus apud illos exularet. *Rhegium* autem, ut *Catanam*, à Chalcidenſibus conditum ſcribunt Strabo & Heraclides in lib. de Politiis. *Thurinis* etiam, qui Rheginenſibus finitimi erant, jura dedit, ut notat Diodorus Siculus; unde Thurii nomen illi attributum [*Lib. VI. c. 5.*] apud Valerium Maximum. Probabile igitur eſt, & veriſimile, Catanenſes, ut civis ſui, de republica optimè meriti, memoriam conſervarent, nummos ſuos illius imagine obſignaſſe. Magnæ verò Græciæ urbes noſſe deſiderantibus vel ſolus ſufficiet, ſcio, Juſtinus; qui omnes *Græci nominis Italiam* poſſidentes (dicti non *Itali*, ſed *Italiotæ*, quod eſſent è Græcia in Italiam adventitii; ſicuti *Siciliotas* & *Phthiotas* à Siculis & Phthiis diſcriminamus: Hinc appellatum *Philoſophiæ* quoddam genus *Italicum*, quod autore Pythagora Samio à *Græcis in Italia* coli cœpiſſet: Horum item erant *Italicæ menſæ*, luxu infames, monente Berneccero) adverſus quos prima Dionyſio militia fuit, hunc in modum enume- [*Juſtin. lib. XX. cap. 1. & 2.*] rat: *Denique multæ urbes*, inquit, *adhuc poſt tantam vetuſtatem veſtigia Græci moris oſtentant; námque Tuſcorum populi, qui oram inferi maris poſſident, à Lydia venerunt, & Venetos, quos incolas ſuperi maris videmus, capta & expugnata Troja, Antenore duce, miſit: Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, Græca urbs eſt: Arpos Diomedes exciſo Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. Sed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuſcis, Tarquinii à Theſſalis & Spinambris: Peruſini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Ceren urbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Ænea conditi videntur? Jam Faliſci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt? Quid tractus omnis Campaniæ? Quid Bruttii, Sabinique? Quid Samnites? Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, Spurióſque vocatos accepimus? Thurinorum urbem condidiſſe Philoctetem ferunt, ibique adhuc monumentum ejus viſitur: & Herculis ſagittæ in Apollinis templo, quæ fatum*

tum Troja fuere. Pergit dein Trogi Pompeji epitomator, de Bruttiis, ad injurias vicinorum promtis: *Nam multas civitates Græci nominis Italia expulerant; auctores quoque ſuos Lucanos bello vicerant, & pacem cum his, æquis legibus* Idem lib. XXIII. cap. 1 *fecerant. Tanta feritas animorum erat, ut nec origini ſuæ parcerent: Námque Lucani iisdem legibus liberos ſuos, quibus & Spartani, inſtituere ſoliti erant.* Et poſt nonnulla eoſdem viciniæ ſuæ turbatores Bruttios proſequitur longiùs: *Primùm illis cum Lucanis, originis ſuæ auctoribus, bellum fuit. Qua victoria erecti, cum pacem æquo jure feciſſent, cæteros finitimos armis ſubegerunt; tantásque opes brevi conſecuti ſunt, ut pernicioſi etiam Regibus haberentur. Denique Alexander Rex Epiri, cum in auxilium Græcarum civitatium, cum magno exercitu, in Italiam veniſſet, cum omnibus copiis ab his deletus eſt: Quare feritas eorum ſucceſſu felicitatis incenſa, diu terribilis finitimis fuit.* Hi ſunt illi Græci, quos eſt operæ pretium cognoſcere! Quid autem debeo dicere? Tui c'nſilii, Lector doctiſſime, indiget illuſtris editor; & abs te officium tuum, debitum doctrinæ requirit ac flagitat; cui ſemper in mentem ſunt Petri Seguini (quem nominaſſe tantùm, eſt cauſam viciſſe) in Epiſtola ad Franc. Gottifredum, Equitem Romanum, verba: *Ut in antiquis oraculis ſæpius duplex ſenſus, immò & contrarius occurrebat; ita & in veterum nummorum inſcriptionibus multa viſuntur, quæ multiplicem patiuntur ut lectionem, ita & explicationem; tum propter vetuſtatis injuriam, præſertim in æreis, in quibus rubigo novas & fictitias literas videtur inducere, prioribus corraſis; tum quod creſcente in dies conquirendi ſtudio reperiantur alii ſimilis quidem fabricæ, ſed elegantioris, aut magis integræ, qui novam lucem afferunt; tandem quod è terræ viſceribus eruantur quotidiè alii nuſquam viſi, qui conjecturas priores, quibus ſæpè nititur numiſmatologia, ad veriorem & ſolidiorem ſenſum reducunt.* Tandem elegantiſſimi hujus ſtudii tranquillitatem ac modeſtiam, velut ipſarum Gratiarum enarrator, expromit; quam complecti oratione mea non poſſum: *De veteribus igitur nummis* „
diſſertatio, ut dixi, ſæpius conjectura niti cogitur, & plurima tractare, quæ in „
utramque partem agitari ancipiti probabilitate poſſunt; plurima, quæ hominum „
ingenia exerceant, eáque honeſtiſſimis excitent contentionibus, nec irritent; dum- „
modo ſolius veritatis indagandæ cauſa, vel honeſtæ occupationis & animi levandi „
gratia, in medium adducantur; non livore & animo detrahendi famæ ſummo- „
rum Virorum, qui ſuperioribus temporibus antiquitati ſtuduerunt, & primi in „
hoc aperiendo campo, operam ſuam utiliter impenderunt. Vnum atque idem „
ſentit, judicii exacti valdè ac limati Vir ille, Spanhemius: *Neque illæ fa-*

teor (inquit) *de ſummis Chriſtianæ fidei capitibus, de juſtitia aut injuſtitia, de ſummo bono aliisq; id genus graviſſimis rebus diſputationes, è quibus ſalus hominum ac fortuna pendeant; de iis tamen, quæ ad omnem literarum ac eruditionis ubertatem & elegantiam pertinent, & in quibus, ut proclive à ſcopo aberrare, ita paratior veniæ locus, nec internecina odia metuenda continuò veniunt.* Quod ſi verò non infrequentium id genus hominum, qui dum artem aliquam ſibi ornandam ſuſcipiunt, hoc unum agunt, ut eam non ſolùm omnibus aliis anteponant; ſed & reliquos omnes veluti vilem turbam in ordinem cogunt, in iſtos reſponſionem ingentis illius ſupráque mortalium naturam Viri derivo: *Neq; verò illos moror,* ait, *qui cum ſua tantùm circumſpiciant, in iis ſe jactent, quæ ſe ſcire aut docere profitentur, alia omnia, quæ ignorant, nulla contentione animi, nulla ſaltem valdè laborioſa animadverſione digna arbitrantur. Fruantur ſanè illi ſuis delitiis, ſuis amoribus; neque nos habebunt repugnantes, aut verò infitiantes, valdè præclara eſſe & laudabilia, in quibus eorum ſe exercet induſtria. Sapiant etiam ſoli, ſi velint, modò nos ſinant inſanire cum Viris hujus aut ſuperioris memoriæ longè clariſſimis & graviſſimis; neque noſtra nobis otia, noſtra oblectamenta ad unum nutum ſuum & arbitrium præſcribere aut recoquere cogitent.*

